



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficult. 1. An in satisfactione Theandrica sit alteritas rigorosa?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

In presenti attendi solet ad sex conditiones iustitiæ rigorosæ. 1. est alteritas satisfaciens & offensus. 2. ut sit ab ipso debitore. 3. ut non sit gratuita condonatio, sed talis ut non possit non acceptari. 4. ut fiat ex proprio, & non ex acceptis à creditore. 5. ut fiat non ex debitis alijs: 6. ut non fiat ex gratia creditoris.

Inquirendum imprimis venit, an in satisfactione Christi intercesserit alteritas perfecta, inter satisfaciens & eum cui satisficit? Perfectam alteritatem agnoscit Suarez disp. 4. Sect. 5. quæ est ratione diversarum naturarum liberarum, quarum una poterat offerre, & alia acceptare satisfactionem: Lugo disp. 4. Sect. 1. ubi num. 2. dicit, ad satisfactionem suppositorum, & Amicus disp. 6. Sect. 7. num. 209.

Punctum Difficultatis 1.

An in satisfactione Theandrica sit alteritas rigorosa?

EXPLICANT 1. aliqui alteritatem sufficientem à 1. specialem iustitiam, eamque dicunt fuisse in satisfactione Christi; quia satisfactio illa, exhibita est personæ Patris, à persona Filii, naturam humanam terminante: inter personas autem, propter distinctionem realem earundem, reperitur sufficiens alteritas. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum, quia expressè dicit Paulus: *Erat Deus in Christo, mundum reconcilians sibi*, ergo non soli Patri. Tum, quia illi facta est satisfactio, qui erat offensus; offensus autem ratio, competit toti Trinitati: quia cum communis sit toti Trinitati excellentia, contra quam agit peccatum, etiam ratio offensus tribui debet toti Trinitati: Ergo & reconciliatio debet esse totius Trinitatis. Tum, quia communis est voluntas omnibus tribus, & quia placari, directivè ad intellectum, jam autem proximè ad voluntatē spectat; hoc ipso, quia dicitur placari Pater satisfactione, dici debet placari filius, & tota Trinitas; cum sit, & intellectus, & voluntas, personarum omnium, una. Quando autem in Scripturis dicitur, quod *habeamus Christum advocatum apud Patrem*, nomine Patris, intelligitur Trinitas, cujus totius erat Christus quæ homo; & sicut cum dico, *Pater noster*, non intelligitur sola prima Trinitatis Persona; sic, nec cum dicitur, *advocatum habemus apud Patrem*, debet intelligi aliud, quam Deus Trinitas.

EXPLICANT 2. aliqui, accepto fundamento ex Albertino corollario 18. ex principio philosophico; quia scilicet Christus, prout terminans naturam humanam, satisfecit toti Trinitati, & sibi ipsi non quomodocumque spectato, sed prout terminanti naturam divinam; quia quamvis sit eadem persona satisfaciens & acceptans: ut tamen satisfacit, habet speciale jus, in operationes humanitatis sibi unitas, quod non habet, quatenus acceptans, eo quod habeat ratione perso-

nalis unionis dominium speciale, in operationes Christi, quale dominium non habent aliæ personæ. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Quia VERBUM prout terminans naturam humanam, à seipso, prout terminante naturam divinam, non dicit distinctionem realem, ergo nec alteritatem realem; quæ tamen ex Aristotele requiritur ad iustitiam rigorosam, ut alibi dictum. Negatur item Christum habere dominium speciale, in opera humanitatis. Ratio: quia dominium speciale non potest esse, sine speciali jure utendi re aliqua, secundum rationabile placitum; speciale autem jus utendi ad placitum, non potest esse sine speciali voluntate; esset enim actus specialis, sine speciali principio: jam autem VERBUM non habet specialem voluntatem, quia nec specialem naturam, quam supponit voluntas.

DICES. Iustitia non attendit ad diversitatem personarum, nam inter dominum & servum, est diversitas personarum, nec tamen intercedit iustitia.

RESPONDETUR. Iustitiam duobus stare, diversitate dominorum, & diversitate personarum, nec unum sine alio, iustitiam specialem salvare potest; & quia deest diversitas iurium, inter dominum & servum, quæ talem; ideo deest etiam iustitia specialis.

EXPLICAT 3. Amicus. Quamvis completum principium operandi sit suppositum, formale tamen, penes quod est potentia proxima operandi, est natura, à qua suppositum denominatur liberè operari: cum ergo in Christo sint duæ naturæ, perfectæ liberæ, distinctæ realiter; erit distinctum principium formale. Quo satisfaciendi, & cui sit satisfactio: Ergo idem suppositum, unâ naturâ satisfacere potest, & aliâ satisfactionem acceptare, ut creditor. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Quia alteritas naturæ humanæ, non plus hic confert, nisi id, ut sit, in quo satisfacit Persona VERBI; sed non id, quod satisfacit; jam autem hic quæritur, de principio, quod satisfacit: præcipuè autem, quia si non admittatur iustitia creaturæ erga Deum, non erit illic alteritas iurium, etiam respectu diversarum naturarum. Denique quærere restabit; Cur sufficiat alteritas petibilis non nisi ex naturis?

DICES 1. Christus ut homo, veram & propriam obedientiam, orationem, & religionem præstabit sibi, ut Deo: Ergo poterat offerre & satisfactionem.

RESPONDETUR ex mente S. Thomæ hic q. 20. a. 1. ad primum: *Dicendum*, inquit, quod *Cyrillus & Damascenus negant, Christum esse dominum sui ipsius, secundum quod per hoc importatur pluralitas suppositorum.* Unde negatur jam Antecedens.

DICES.

DICES 2. Hic homo Christus, habet proprium dominium, per voluntatem humanam, suorum actuum: Ergo poterat ex iustitia satisfacere.

RESPONDETUR. Hic homo Christus, habet libertatem suorum actuum, in ordine ad illos ponendos vel non ponendos, sed non in ordine ad illos, dominio Dei subdendos, vel non subdendos.

DICES 3. Si Christus per assumptam naturam peccaret, veram injuriam faceret Deo; & angelus naturam humanam assumeret, posset esse inter illas voluntates injuriatio & satisfactio: Ergo idem dicendum in presenti.

RESPONDETUR. Peccatum non esse proprie injuriam Dei, voluntas etiam illa angelica & humana, non posset facere injuriam Aristotelicam.

Atque aliorum explanationibus.

PRÆMITTO I. *Quis sit sensus istarum trium reduplicativarum? Christus ut homo. Christus ut Deus. Christus secundum humanitatem.* Hæc reduplicatio, Christus ut Deus, importat solam rationem Deitatis, vel personæ divinæ, cum exclusionem eorum, quæ illi competunt, ratione conjunctionis, cum natura humana. Ratio: quia nisi excludantur hæc, deberent verificari falsæ & absurdæ propositiones; quod ipsum probatur; falsa est hæc propositio: Christus quæ Deus est mortuus; quia quæ Deus, importat Deitatem, Deitas autem mori non potest; quæ propositio vera esse deberet, si in reduplicativa illa, non excluderentur ea prædicata, quæ conveniunt Christo, ratione conjunctionis cum natura humana. Hæc reduplicativa, Christus ut homo, importat non solum ea, quæ Christo conveniunt ratione humanitatis præcisè sumptæ, sed & ea, quæ conveniunt ei ratione conjunctionis cum persona divina, & sic, vera est hæc propositio, Christus redemit quæ homo, quia redemptio non soli præcisè naturæ humanæ, sed naturæ prout unitæ cum Persona VERBI competit; differentia autem harum reduplicativarum, inde sumitur: quia Christus, in ratione Dei, non constituitur ullâ ratione humanitatis, ideoque illa reduplicatio, ut Deus, excludit omnia humana; è contra, in ratione hominis constituitur aliquo divino, ly enim homo supponit principaliter pro persona, quæ in Christo est non nisi divina, licet secundariò importet etiam naturam humanam. Cæterum si ly homo, non reduplicet ex circumstantiis rationem termini & Personæ, sed solam naturam, coincidet cum reduplicativa tertia, de qua mox. Et ita, quando S. Thomas, negat hanc propositionem: Christus quæ homo est Deus, licet concedat hanc: Christus, in quantum est hic homo, est Deus; sumit illam priorem reduplicativam, tanquam reduplicantem solam naturam, & non complementum naturæ, h. e. personam. Reduplicativa hæc, Christus secundum humanita-

tem: in suo genere, similis est primæ allatæ reduplicativæ; sicut enim prior importat solum esse divinum, sic & posterior, importat solum esse humanitatis; sicut prior non importat ea, quæ illi conveniunt ratione unionis cum natura humana: sic nec hæc importat ea, quæ illi conveniunt ratione unionis cum persona divina.

PRÆMITTO 2. *Falsam esse hanc propositionem; Christus satisfecit secundum humanitatem.* Ratio: quia secundum humanitatem, non habet dignitatem ullam cum offenso. Falsa item hæc, rigorosè loquendo; Christus ut Deus satisfecit; quia ut Deus, non est principium actuum satisfaciendi, & non importat quicquam nisi divinum; cum tamen satisfactio etiam aliquid creatum importet: vera ergo erit rigorosè in isto sensu, Christus quæ homo satisfecit, ly quæ homo non accipiendo pro humanitate præcisè, sed simul pro persona divina eandem terminante. Quia nihilominus principium satisfactionis duo dicit, & principium elicitivum, & principium dignificativum; casu, quo in aliqua propositione velimus explicare solam virtutem agendi, seu principium elicitivum, rectè dicemus, Christus secundum humanitatem satisfecit; casu autem, quo velimus reduplicare principium dignificativum, prior propositio falsa erit, hæc autè vera: Christus ut Deus satisfecit, h. e. secundum rationem personæ divinæ, dignificavit satisfactione.

PRÆMITTO 3. *Quando quaritur: An satisfactio Theandrica, sit satisfactio rigorosæ iustitiæ? quaritur de illo, prout est condigna, quæ condigna non est, nisi prout proficiscitur à natura terminata personâ divinâ.* His Præmissis

ASSERO I. *Ad Aristotelicè sumptam iustitiam, requiritur alteritas, seu distinctio suppositum.*

RATIO: quia Aristoteles iustitiam appellat virtutem ad alterum, ut dictum alibi: jam autem alter est nomen personæ. Rursus Aristoteles reprehendit locutiones has, Anima net, ædificat, &c. Sed vult dici, v. g. Berta net, Sophroniscus ædificat; quod si per illum anima non ædificat, nec natura satisfaciet, sed suppositum. Denique quia Aristoteles separabilitatem suppositi à natura non agnovit, consequenter si requisivit alteritatem, requisivit etiam suppositi alteritatem.

ASSERO 2. *Satisfactionem Christi, non fuisse ex iustitia rigorosa Aristotelica.*

RATIO, quia inter suppositum satisfaciens, & inter eum cui satisfaciebat, non erit alteritas: Satisfaciebat enim Deo & sibi ipsi, jam autem non erat alteritas, inter Deum, & inter illum et ipsum. Et hoc voluit S. Thom. 2a. 2æ. q. 58. a. 2. in corpore, *iustitia, inquit, propria* (supple Aristotelica) *requirit diversitatem suppositorum; & ideo non est nisi unius hominis ad alium;* & 3. p. q. 20. a. 2. *ad secundum, & ad primum.*

ASSERO 3. *Non videtur, cur rigorosa iustitia (licet non Aristotelica) non possit dari, inter duas naturas.*

RATIO:

RATIO: quia si alteritas Personarum fundat justitiam Aristotelicam, cur non fundabit alietas naturarum? præcipue, cum duæ illæ naturæ, habituræ sint distinctas voluntates, distincta bona, si cætera adsint. Et certè, posito quod subsistentia sit realitas, vel modus, si hodiè Deus omnes nos spoliaret nostris subsistentiis, nunquidné jam furtum non daretur, & restitutio? Aristoteles autem, non agnovit aliam alteritatem, nisi suppositorum, quia non agnovit separabilitatem naturæ à supposito.

ASSERO 4. *Satisfactionem Christi, si spectetur prout profecta à natura, adeoque, non habens condignitatem cum offensa, habere sufficientem titulum alietatis.*

RATIO: quia eo casu suppositionis, est perfecta alietas, inter satisfaciendam naturam humanam, & inter eum cui satisficit, nempe Trinitatem. Sed licet non deficiat alietas requisita ad justitiam rigorosam, aliunde erit defectus.

ASSERO 5. *Satisfactionem Christi, prout est condigna, prout involvit personam divinam, nullo modo, aut Aristotelicè, aut aliâ acceptione, rigorosè justitiales esse.*

RATIO, quod non sit Aristotelicè justitialis, est: quia satisfactio condigna importat Personam VERBI dignificans, & Persona VERBI cui fit satisfactio, non sunt personæ distinctæ.

Quod etiam aliâ acceptione non sit rigorosè justitialis, ratio est: si satisfactio illa non fuisset profecta à natura humana, sed præcisè nonnisi à Persona VERBI, satisfactio illa non esset ullo modo rigorosè justitialis; jam enim non diceret alteritatem, adeoque nec æqualitatem, si autem non diceret æqualitatem, nec diceret justitiam; sed satisfactio Christi quæ condigna, nullo modo proficiscitur à natura humana, sumit enim dignitatem ut dictum est à VERBO: Ergo quæ condigna, nullo modo est justitialis.

INFERES, Quod Obedientia, Religio, Oratio, Aristotelicè accepta, alteritatem suppositorum requirant. Ratio: quia requirit per illum alteritatem naturarum, adeoque & suppositorum. Sed concessio, quod Obedientia, Religio, &c. non requirant alteritatem in sententia Aristotelis, non sequitur eam non requiri à justitia; quia cum illæ priores virtutes non sint justitiæ rigorosæ, possunt non requirere alteritatem rigorosam, secus de justitia rigorosa sentiendum.

Punctum Difficultatis 2.

De aliis duabus conditionibus justitiæ rigorosæ.

Quod attinet ad Conditionem, ut sit ab ipso debitore.

ASSERO 1. *Offensa Dei, quæ illi inferitur per peccatum, quamvis non sit injuria rigorosa, ut suppono ex materia de justitia, nihilominus maximè accedit ad injuriam, ratione honoris læsi.*

RATIO: quia peccatum, est saltem latiori modo sumpta, injuria Dei: Ergo est, saltem latiori modo, diminutio in bonis Dei. Sed hæc diminutio non est in bonis, quæ appellantur fortunæ, quia aliàs omne peccatum deberet esse furti species, quod non est, nisi ad figuratas locutiones recurras. Non etiam est injuria in bonis famæ, aliàs omne peccatum involveret blasphemiam, vel detractionem: Ergo debet esse in bonis honoris.

ASSERO 2. *Offensa, facta per læsionem honoris & excellentiæ, non posse fieri satisfactionem rigorosè justitiales, nisi ab eo in persona, qui ipse læsit.*

RATIO: quia tunc non fit satisfactio ex rigorosa justitia, quando opere aliquo posito, is qui offensus est, potest rationabiliter retinere aversionem; sed posita quæcunq; satisfactione pro honore læso, si non fiat ab eo, qui læsit, potest offensus rationabiliter retinere aversionem; quod probatur, quia potest semper exigere hunc in individuo honorem, qui honor, hic in individuo, non exhibetur nisi ab hac persona, cum honor definitivè sit, testificatio nostræ opinionis de aliena excellentia, ut docet Less. lib. 2. de justitia, cap. 11. dubit. 1. Quod autem possit exigere hunc in individuo honorem, ratio est. Tum quia habetur hoc in humanis, si enim rex, alium regem, in honore lædat, potest læsus satisfactiones aliorum regum rationabiliter non recipere, & exigere, ut lædens in persona suppleat. Et certè quis neget possibilem esse talem injuriam, cui ex rigorosa justitia satisfieri non possit, nisi ab ipso injuriante; talis autem commodius inveniri non potest, quam injuria honoris. Tum, quia non potest esse satisfactio condigna, per talem actum, quo posito, æquè potest, manere læsus rationabiliter aversus, ut ante; hoc in præsentia contingit: quia potest dicere; hic honor est mihi non indebitus, sed insuper, est mihi debitus honor ab illo, qui me inhonoravit. Tum quia, vel habetur titulus honoris personalis exhibendi, vel non habetur: si habetur: quæcunq; satisfactione ab alio posita, nondum ponitur verificativum hujus propositionis: Ponit obligationem personalem. Si autem non habetur jus; cur non? & quid in tali titulo repugnat? & si dantur actiones, quæ ab alio suppleri non possunt, ut vitales, quæ tales; cur idem dicendum in præsentia? Deniq; haberi potest injuriatio activa personalis sita in hoc; Non dolorem tantum, si me hic non læsisset; Ergo potest etiam dari titulus satisfactionem personalem exigendi.

DICES 1. Quamvis justitia vindicativa exigat poenam, nonnisi delinquentis, id tamen non exigit commutativa: hinc Joanni æquè fit satis, sive Petrus illi reddat debitum, sive Paulus pro Petro; jam autem satisfactio pro peccato, est satisfactio ex justitia commutativa.

RESPONDETUR. In justitia commutativa circa